

*Dedit tibi cibum, quod ignorabas tu et patres tui.*

Léctio libri Deuteronomíi

8, 2-3. 14b-16a

**L**ocútus est Móyses pópulo dicens:

<sup>2</sup> «**R**ecordáberis cuncti itíneris,  
per quod addúxit te Dóminus Deus tuus  
his quadragínta annis per desértum,  
ut afflígeret te atque tentáret,  
et nota fíerent, quæ in tuo ánimo versabántur,  
utrum custodíres mandáta illíus an non.

<sup>3</sup> Afflíxit te penúria  
et dedit tibi cibum manna,  
quem ignorábas tu et patres tui,  
ut osténderet tibi quod non in solo pane vivat homo,  
sed in omni verbo, quod egréditur de ore Dómini.

[4-14a]

<sup>14b</sup> Ne obliviscáris Dómini Dei tui,  
qui edúxit te de terra Ægýpti, de domo servitútis,  
<sup>15</sup> et ductor tuus fuit in solitúdine magna atque terríbili,  
in qua erat serpens adúrens et scórpio  
ac terra árida et nullæ omníno aquæ;  
qui edúxit tibi rivos de petra duríssima  
<sup>16</sup> et cibávit te manna in solitúdine,  
quod nesciérunt patres tui».

Verbum Dómini.